



Continetur in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Augst.
- 2 Schedae Elementorum nos disp. 1. <sup>Hofmann</sup>
- 3 Anteodosius brevis de sacro physicoe suu librinis M. Fid. 3 additum
- 4 Disp. de Aer. Octavius tunc psonat tunc officio - Hofmann
- 5 Disp. 1. de Coena Domini. eisdem. accesso Togenay & ministris
- 6 Disp. 1. de Coena Domini. Hofmanni. <sup>aduocacionem</sup> ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs 281 & voluntatij ipsius, Hofmanni
- 8 De rebus inter fiducia & gratia, an & Consistorium sic
- 9 Leipzig, Tong abf. ~~Ad~~ des Exorcismi  
M. Georgij ~~ystanij~~

Geb

Sammelband

30

DISPUTATIO VI.

Ex articulo secundo Augustanae Confessionis.

5

DE BLASPHE-  
MIA IN SPIRITVM SAN-  
CTVM, SIVE PECCATO  
AD MORTEM.

*Ad cuius Thesēs,*

Docente Spiritu sancto,

S U B P R A S I D I O

LEONHARTI HUTTERI, S. S.  
Theologiae D. & Professoris in alma VVi-  
tebergensi Academia, defendet

M. GREGORIUS HAGIUS,  
*Obernrettanus, Fr.*

ad diem 17. Septembris, horis locoq; consuetis.



UITEBERGAE,

Typis Simonis Gronenbergii, Anno 1600.

## DISPUTATIO VI.

### De Blasphemia in Spiritum sanctum,

seu Peccato ad mortem.

### THEISIS I.



Vm non tam obscura, quām diffici-  
lis de blasphemia in Spiritum sanctum sit quæ-  
stio; neque omnibus omnino Doctoribus idem  
de ea judicium: visum fuit in Articuli secundi  
Confessionis nostræ ἀναλύσει, peculiarem de  
ea, tanquam peccati Originalis effectu, συζήτη-  
σιν instituere.

II.

Etsi verò magnus & periculosus hujus doctrinæ, ad despera-  
tionem potissimum est abusus: non tamen propterea in Ecclesia  
ignorari: quin vel hanc ob causam, veritas ejus investigari debet  
accuratiū.

III.

Eaenim rectè explicata & cognita, conscientias pavidas, com-  
missi hujus peccati formidine prostratas, ac proinde Consolatio-  
num Euangelicarum ægrè capaces, laqueis desperationis disru-  
ptis erigit, solatur, confirmat.

IV.

Reliquis verò, quibus clarior Euangelicæ doctrinæ lux af-  
fusit, & firmior veritatis innotuit agnitus, crepidines quasi & can-  
cellos figit, quibus coerciti, nec peccatis contra conscientiam fre-  
nalaxent liberius, nec obduratis cordibus Spiritui sancto resistant  
petulantius.

V.

Placet autem καὶ ἡ ἁγονία sive remotionem falsarum de hac  
blasphemia opinionum, ad δέσιν seu investigationem veræ senten-  
tiae paulatim progredi.

### PARS I. ΑΝΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ.

VI.

Initio ergo sese offert Origenes, ipsumque secuti alii, qui peccatum in Spiritum sanctum definierunt esse, quodcunque grave, enorme ac ἀναπολόγικον delictum, post Baptismum commissum. Orig. in cap. 12. Matth.

VII.

Quam opinionem postea sub annum Christi 253. Novatiani  
postliminiō

I Orige-  
nes.

Novatiani.

postliminiò quasi in Ecclesiā reduxerunt, affirmantes, uerò & rō λεγόντες οὐκέτι δύνασθαι εἰλεγόντα τὸν πεπτωκότα, ut Epiphanius loquitur, post lavacrum regenerationis misericordiam amplius consequi non posse eum, qui lapsus fuerit, propterea quod omnes Christianorum lapsus peccata sunt in Spiritum sanctum, teste D. Hieronymo in Epist. ad Marcellam.

VIII.

Atqui verò hac stante sententia, neque Propheta Nathan Davidi homicidæ simul & adultero, remissionem peccatorum anunciat, 2. Sam. 12, 13. neque Apostolus incestuosum illum Corinthium respiccentem, à tanto tamque enormi flagitio absolvere potuisset, 2. Cor. 2, 7. 8.

IX.

Alii blasphemiam in Spiritum sanctum voluerunt esse peccatum ex malitia commissum: quemadmodum peccatum ex insinceritate peccatum sit in Patrem, peccatum verò ex ignorantia, peccatum in Filium.

II. Magi-

ster sen-

tent:

X.

Quæ sententia cum primis placere videtur Petro Lombardo sive Magistro sententiarum, l. 2. Sent. dist. 43. lit. D. Et Thomæ Aquinati in 2. secundæ, quæst. 14.

XI.

Rectè autem Iesuita Bellarminus, hac in parte à suis gregalibus dissidens, respondet: Quamvis quodlibet peccatum ex malitia commissum, dici possit peccatum in Spiritum sanctum: (quatenus nimicum id in DEUM, unum essentiâ, Trinum Personis perficitur,) non tamen quodlibet peccatum ex malitia esse illud, de quo Scripturæ loquuntur, quod propriè & singulariter dicitur peccatum in Spiritum sanctum, & quod non remittitur, vel in hoc, vel in futuro seculo, Tom. 2. Controversiarum fol. 1327. edit. anni 1591.

XII.

Constat enim ex sententia Servatoris, peccatum in Spiritum sanctum, specialem quandam esse blasphemiam, & in summo gradu constitutam: Contrà verò, peccatum ex malitia, generale omnino esse peccatum, neque semper cum blasphemia coniunctum.

XIII.

D. Augustinus olim statuit, in Spiritum sanctum peccare Augustinum, qui gratiæ in fratrem collatæ invidet, lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 43.

III.

A 2 Verum

XIII.

Verum hæc sententia à scopo verborum Christi quam longissimè recedit: quemadmodum ipse quoq; Augustinus postea eam correxisse legitur, lib. 1. Retract. cap. 19.

IV.  
Hierony-  
nus.

D. Hieronymus peccatum in Spiritum sanctum fore existimat, si quis ante tribunal judicis constitutus, non solum neget Christum, sed eum etiam dicat esse Beelzebub. In Epist. ad Marcellam.

XV.

Etsi verò hæc opinio non ita procul à vero est aliena: in eo tamen deficit, quod peccatum hoc non ultrò, sponte & voluntariè ab hominibus, sed coram tribunal iudicis constitutis, sive vi tormentorum coactis, committi inuit.

XVI.

Etsi verò hæc opinio non ita procul à vero est aliena: in eo tamen deficit, quod peccatum hoc non ultrò, sponte & voluntariè ab hominibus, sed coram tribunal iudicis constitutis, sive vi tormentorum coactis, committi inuit.

XVII.

Sunt alii, qui, sola incredulitate peccatum hoc in Spiritum sanctum describendum esse, opinari sunt.

XVIII.

Etsi verò non negamus, in incredulitate perseverantes, æterno inferorum subjacere supplicio, Ioh. 3, 18. Marci 16, 16. Constatamen, multos abjecta incredulitate, per fidem redire ad Christum, & æternæ beatitudinis fieri participes: id quod vel unicum Apostoli Pauli exemplum evidenter demonstrat.

XIX.

Quæ sanè nota peccato in Spiritum sanctum neutquam competit, siquidem hoc modo peccantes per fidem Christo inferi & salvari posse, impossibile esse, scriptura pronunciat.

XX.

Alii abnegationem veritatis Evangelicæ agnitæ, peccatum hoc irremissibile esse statuunt.

XXI.

Atqui verò hac obtinente sententia, Petrum Apostolum, ter abnegantem Christum Servatorem, ad Orcum relegimus necesse erit: id quod de tanto Apostolo vel cogitare nefas est.

XXII.

Sic omnes ii flammis infernalibus adjudicandi erunt, qui in primitiva Ecclesia, durantibus gravissimis illis persecutionibus, suppliciorum atrocitate perterriti, ex infirmitate agnitem doctrinæ cœlestis veritatem abnegarunt: Quorum tamen plurimos, se- ria

ri apostolica pœnitentia, non minore cum gaudio; quam consensu  
reliquorum Christianorum in Ecclesiæ communionem receptos  
esse, passim Ecclesiastica testatur historia.

XIII.

Sunt tandem alii, quibus peccatum in Spiritum sanctum visa VII.  
sunt finalis esse impenitentia.

XIV.

Quam opinionem olim D. Augustinus approbavit, ut videre  
est Serm: 11. de verbis Domini. Epist. 50. ad Bonifacium, lib. 4.  
contra Cresconium, cap. 8. hodieq; haud pauci, ut maximè propri-  
am sequuntur & defendunt. XV.

Etsi verò inficias minimè imus, finalem impenitentiam esse  
peccati in Spiritum sanctum certissimum quoddam προσκείμενος  
sive adjunctum: interim tamen ταῦτα quiddam cum eo, & αντίστη-  
φον esse, negamus. XVI.

Multos enim reperias, qui in delictis contra Decalogram fina-  
liter persistunt: quos tamen neq; agnitione veritatis Euangelicas  
polluisse, neque blasphematos in Spiritum sanctum fuisse conitat.

XVII.

Variæ hæc & discrepantes sententiæ moverunt Scholasticos VIII.  
Doctores, ut sex constituerent peccata in Spiritum sanctum: De-  
sperationem, præsumptionem, obstinationem, finalem impeniten-  
tiā, invidiam fraternalē gratiæ, impugnationem veritatis agnitiæ.  
Scotus, Gabriel, Bonaventura, lib. 2. sent. dist. 43. quest. 1.

XVIII.

Verum inspectis & perpensis accuratiis Scripturarum testi-  
moniis, de hoc peccato ex professo agentibus, fortè haud difficile  
erit, nodum hunc dissolvere, & unicum saltem tale esse pecca-  
tum, ad oculum demonstrare.

PARS II. ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

XIX.

Sic autem initio Christus Servator suam hac de re mentem  
explicat: Amen dico vobis: Omne peccatum, & blasphemia omnes,  
quibuscumq; blasphemaverint, remittentur hominibus: bla-  
phemia verò in Spiritum sanctum, non remitteretur hominibus. Et  
quisquis locutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur ei:  
Quisquis autem blasphemaverit Spiritum sanctum, non remitteretur  
ei, neque in hoc seculo, neque in futuro: Sive, uti Marcus habet:

A 3

Non

Non habebit remissionem in æternum, sed æterno tenebitur iudicio, Matth. 12. 31. & 32. Marc. 3. 28. 29. Luc. 12. 10.

¶ monachorum

X X X. illa scilicet doctriæ malitia. illa

Quorum verborum quis verus, proprius ac genuinus sit sensus, facilius ut percipiatur, probè omnino observandum, peccata universa, secundum duas diversas doctrinæ Christianæ partes, dum esse generum: Alia enim directè in doctrinam Legis: alia vero in doctrinam Euangelij feruntur.

¶ monachorum meo

¶ diuinismodi boso. X X X. hinc

De prioribus illis jam non est quæstio: siquidem inter ea, peccatum in Spiritum sanctum principaliter referri nequit: Sed de posterioribus, iis videlicet, quæ doctrinam gratiae, Euangelii propriam, directè oppugnant.

X X X I.

Sunt autem hæc gemina: Aliud enim committitur in Filium hominis: aliud in Spiritum sanctum.

X X X I I.

Peccatum in Filium hominis duplex est: Vnum, Incredulitas per Ignorantiam; quando quis veritatem doctrinæ Euangelicæ nondum agnitam oppugnat.

X X X I V.

Peccatum in Filium hominis. Quale peccatum fuit in persecutore Paulo, ipsomet disertè factente, quod prius blasphemus fuerit & persecutor: Sed misericordiam consecutus, quia ignorans in incredulitate peccatit, 1. Tim. 1. 13.

X X X V.

Et in Iudeis quibusdam, qui offensi humili Christi formam, Messiam eum non agnoverunt, nec in eum crediderunt, sed per ignorantiam in crucem egerunt: de quibus Apostolus pronunciat, quod si Dominum gloriam cognovissent, non crucifixissent,

Cor. 2. 8.

¶ Alterum peccatum in Filium hominis est abnegatio ex infirmitate, doctrinæ Euangelii prius agnitæ, sine hostili tamen, & in πορειᾳ suscepta ejusdem oppugnatione & blasphemia.

X X X VI.

Qualis fuit in Apostolo Petro, qui terna abnegatione Christum ex infirmitate menti periculi adductus, abnegavit.

X X X V I I.

Et in Francisco Spiera Civitatalano, qui Venetiis coram Legato Pontificis, Archiepiscopo Beneventano, agnitam doctrinæ Euangelicæ veritatem, sine ulla ratione blasphemia abnegavit: postmodum autem Ratavium reversus, ita procreare, ita animo angi

& discru-

& discrutiari cœpit, ut non in lægitudinem modò gravissimam, verum miserandam desperationem incidet, ipsa uol nulla planè admissa consolatione. Oi viatulæ tandem infelicè & desperatam animam efflaret, satis ubi persuadens blasphemiam in Spiritum sanctum se commisso, ac proinde nullum sibi amplius ad gratiam & misericordiam Dei patere creditum. Anno Christi 1548.

Quoniam vero non dicitur XXXIX.

Est ergo peccatum in Filium hominis, doctrinæ Euangelicæ, vel nondum agnitiæ per ignorantiam oppugnatione vel agnitiæ ex infirmitate ac metu periculorum; sine ulteriorem ejus blasphemiam, abnegatio.

Etsi vero tanta est peccati hujs atrocity, ut pauci admodum eo laborantes, per veram poenitentiam ad Christum redeant: Si quidem desperationem quasi individuum comitem fermè semper secum trahit.

Respectu tamen blasphemiae in Spiritum sanctum, & levius: & dum media ac organa salutis non perulanter ac voluntariè respuit, Remissibile esse, cum Christo Servatore affirmamus.

XXXIX.

Secus autem se habet peccatum in Spiritum sanctum, ad cuius Peccatum constitutionem, duo isthæc necessariò requiri, sacris edocili literis, in Spiritu assertimus: 1. evidenter veritatis doctrinæ cœlestis agnitionem. tum sanctum 2. ejusdem non simplicem & nudam, non ex ignorantia aut formidine periculi, sed voluntariam, & contra proprii cordis testimoniū suscepit blasphemiam & oppugnationem.

XLIII.

Vtramque enim notam haud obscurè exprimit Epistola ad Hebræos, cum peccatum illud, pro quo non reliqua est hostia, sive quod idem est, peccatum in Spiritum sanctum irremissibile, primum, post acceptam veritatis notitiam: deinde vero exstio, voluntariè committi assertit, cap. 10. 26.

XLIV.

Duobus autem modis hæc etiam blasphemia in Spiritum sanctum committitur: Vel enim tota & universa Euangeliæ doctrina, eo, quo jam diximus, modo, oppugnat: vel aliqua saltē ejus pars.

Priore modo peccarunt in Spiritum sanctum Pharisæi, qui licet, cum doctrinæ Christi evidentiâ, tum etiam stupendorum miraculorum

lorum excellentiā, in conscientia sua essent convicti, hunc Christum esse illum ipsum promissum Messiam, teste Nicodemo Pharisaeorum principe, Ioh. 3, 2. teste propriā ipsorum assertione, Matth. 22, 16. Act. 4, 16. nihilominus tamen doctrinam ejus blasphemō o- reproscindere, imò furenter ad mortem usque persequi: miracula verè divina, Spiritus sancti virtute edita, principi Dæmoniorum tribuere, & nomine Beelzebub infamare non exhorruerunt. Matth. 9, 34. 12, 24.      XLVI.

Sic peccarunt Iudeorum Pontifices, qui plus quam Diabolico odio in Christum perciti, ut veritatem agnitam obruerent. Christique gloriam omnibus modis opprimerent, eò prosperarent impietatis & malitiae, ut custodes sepulchri Dominici, Resurrectionem Christi ex mortuis nunciantes, largitionibus corrumpere, & egregiis mendaciis instruere ac subornare non dubitarent. Matth. 28, 11. & seqq.      XLVII.

Sic peccarunt Iudei apud Ieremiam Prophetam cap. 44, 15. 16, 17. & nonnulli ex illis, qui cum resistere Spiritui sancto per Stephanum loquenti haud possent, malitiosè tamen & doctrinam, quam à Deo esse non nesciebant, oppugnare. & ipsum Stephanum interimere maluerunt, Act. 6, 10. & 11.      XLVIII.

Eodem modo peccat tota fermè hodierna Iudeorum sacerdotia, quæ de presentissimo Messiae adventu plus millies, vel proprio etiam cordis ipsorum testimonio convicta, & personam & doctrinam Christi diris ac horrendis blasphemias, petulantia plusquam Diabolica, persequitur.      XLIX.

Posteriore modo in Spiritum sanctum peccare solent Apostolæ, qui, quamvis non totam & universam doctrinam Euangeliū abnegant & oppugnant: In uno tamen aut aliquibus, sive pluribus si- ve paucioribus articulis fidei, scientes & volentes, non coacti, sed sponte sua, propter mundi hujus dignitates & commoda, ad Pontificiorum, aliorumve sectariorum castra transeunt, ac multò virulentius reliquis veritatem agnitam blasphemant ac persequuntur.      L.

Huc pertinent Hæresiarchæ & Schismatici, ut & plurimi monasteriorum jesuitarum ac Sacramentariorum, qui erroris vel censes convicti, blasphemiae tamen calamo veritatem cognitam perstringere, quamq[ue] iustissime videri malunt.

In primis

L I.

In primis vero viderint Constantiensis Concilij Patres, quare ratione blasphemiae hujus in Spiritum sanctum notam effugere possint, qui scientes & ipsi met fatentes, Christum venerabile Sacramentum Altaris sub utraque specie panis & vini instituisse, ac postmodum & ab Apostolis & primitivae Ecclesiae Doctoribus integrè, non mutilatè peractum fuisse, *Hoc tamen non obstante, Laicis alteram speciem ex usu S. Cœnæ grandi & horrendo sacrilegio surripuerunt.* Sess. 13. L II.

Peccatum igitur in Spiritum sanctum est defectio ab agnita veritate doctrinæ Euangelicæ voluntaria, deliberato suscepta proposito, & cum blasphemia in Spiritum gratiæ, ac veritatem prius agnitam, finaliꝝ; impœnitentia conjuncta. L III.

Dicitur autem hoc peccatum Blasphemia in Spiritum sanctum, non, quod non Patri etiam Filioꝝ; adversum illud sit & inimicū: aut quod Spiritus sanctus utroꝝ; major & præstantior: Nihil enim, ut D. Athanasius in Symbolo confitetur, in Trinitate prius aut posterius, nihil majus aut minus. L IV.

Verum, cùm Spiritus sancti proprium officium sit illuminare, & veritatis lucem ac fidem in Christum, in hominibus accendere, sovere, conservare: Ideò qui ab eo illuminatus novit veritatem doctrinæ cœlestis, eam verò nihilominus contra conscientiæ suæ dictamen, destinata malitia ἐκστρατεύει blasphemō ore abnegat & oppugnat, is in Spiritum sanctum peccare dicitur.

L V.

Itaq; hoc peccatum quām proximè accedit ad peccatum Diabolorum, qui cùm sciverint veritatem, tamen in ea non stererunt. Iohan. 8, 44. L VI.

Constat ex his, Quænam sit horrendi hujus peccati causa, non Deus, qui, uti reliqua peccata omnia, si hoc cum primis neq; efficit, neq; cooperatur, neq; impellit, neq; inclinat, neq; approbat, sed seriò detestatur, Gen. 1, 31. Psal. 5, 5. Sap. 11, 25. 1. Ioh. 3, 8.

L VII.

Interim tam cùm hoc peccatum, Indurationis poenam semper secum trahat, Deus sanè, quando singulari hoc furoris sui exemplo, peccatum peccato punit, non nova instillata malitia, aut directa ad blasphemandum facta impulsione: Sed magis magisq; subtracta gratia, & Indurationis cumulata materia atque occasio-

B ne: hoc

Definitio  
peccati in  
Spiritum  
sanctum.

Peccati in  
Spiritum  
sanctum  
causæ.

In hoc respectu, Indurationis, ut poenae caussam ad Deum referre, nihil prohibet. L VIII.

Est autem vera & propria peccati hujus caussa duplex: Remotior & externa una, Diabolus scilicet, qui tamen indirecte saltem, non intrinsecus voluntatem hominis, sed extraneo saltem objecto eam movendo, caussa constitui potest.

L IX.

Altera caussa propinquior & interna, est Cor sive voluntas ipsa hominis, quæ suggestionibus Diabolicis persuasa, vel externis quibusdam commodis, opibus, dignitatibus, aliisque hujusmodi rebus fluxis & evanidis quasi fascinata, incipit parvifacere agnitam veritatem, eamq; paulatim prodere, & perfidè abnegare.

L X.

A quo gradu impietatis mox fit transitus ad blasphemiam Euangeli oppugnationem; atq; sic paulatim homo blasphemia in Spiritum sanctum involvitur, tandemque in æternum inferorum barathrum præcipitur. L XI.

Nam ut disertè Servator affirmat, ea est peccati hujus atrocitas, ut neq; in hoc, neq; in futuro seculo, sive, quod idem est, in æternum non remittatur. L XII.

Neque verò eorum ferenda est explicatio, qui hæc verba Christi, (*in æternum non remittetur*,) pro eo, quod excusationem non haber, ac proinde difficulter remittitur, accipiunt.

L XIII.

Non enim ullum vel levissimum dari potest delictum, quod coram tribunali Dei excusationem etiam minimam prætexere possit.

L XIV.

Neque etiam Christus Servator discrimin inter peccatum in Filium hominis, & inter blasphemiam in Spiritum sanctum, in gradibus quibusdam Remissionis collocat: Sed simpliciter illud Remissibile, hoc Irremissibile esse pronunciat.

L XV.

Nefas ergo fuerit, Remissibile dicere id, quod Servator Irremissibile esse, expressè affirmat.

L XVI.

Est autem Irremissibile hoc peccatum in æternum, non quod sua magnitudine & atrocitate, vel misericordiam æterni Patris, vel Christi Servatoris meritum excedat,

[I. Nam]

L XVII.

I. Nam immensam, & ex æquo se erga omnes peccatores resipiscentes habentem misericordiam Dei Patris, tunc infinita alia Scripturæ confirmant testimonia, tunc verò ipse Iehovah testifissimam facit, apud Prophetam clamans: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius à via sua mala, & vivat, Ezech. 33, 11. & cap. 18, 28, 22. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, OMNIUM iniquitatum ejus non recordabor amplius. L XVIII.

Et Servator Ioh. 3, 16. Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

L XIX.

II. Meriti verò Christi sufficientiam Apostolus Iohannes dilucidè asserit, scribens: Hic est propitiatio pro nostris peccatis: non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis, 1. Ioh. 2, 2. Et Sanguis Filii Dei emundat nos ab OMNI peccato, 1. Ioh. 1, 7.

L XX.

Hinc D. Apostolus generalem infert Aphorismum, omni dubitatione majorem: Vbi exuberavit peccatum, ibi exuberavit & gratia. L XXI.

Qua de causa horrendas ac blasphemias Sacramentiorum voces, & Misericordiam Dei Patris, & sufficientiam meriti Christi, ad paucos, absoluto, omnesque causas antegrediente Dei decreto ad vitam prædestinatos, restringentes, toro pestore detestamur & execramur. L XXII.

Quin adeò sufficiens, vividum & validum Christi meritum statuimus, ut idem etiam ad expiandam hanc blasphemiam in Spiritum sanctum sit efficacissimum, si modò talis, agnita sua malitia, per fidem in Christum rediret. L XXIII.

Id quod Servator ipse haud obscurè innuit, immediate fulmini in hanc blasphemiam stricto subjungens: Matth. 12, 33. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aperte ostendens, si missa obstinata sua pervicacia, per veram resipisceatiam bonam efficerent arborem, tunc haud amplius ipsorum peccatum fore irremissibile. L XXIV.

Duæ autem potissimum sunt causæ, propter quas peccatum hoc in Spiritum sanctum, irremissibile esse & manere, cum Servatore Christo assertimus.

B 2 Prior

LXXV.

Prior in eo consistit, quod hoc modo peccantes, ab ipso Christo, extra quem non ulla pro peccato reliqua est hostia, deficiunt, & universa organa ac media salutis, sine quibus Deus conversionem nunquam ordinariè operatur, directè & voluntariè projiciunt & pedibus conculcant. LXXVI.

Posterior illa est. Quia hoc peccatum individuam quasi habet adjunctam comitem, finalem cordis Indurationem & impoenitentiam, ut obfirmato postea quodam proposito, scientes volentes veritatem agnitam horribiliter impugnare & blasphemare pergent. LXXVII.

Quæ sanè Induratio facit, ut de talibus sit desperatum, quod non amplius per poenitentiam sint reddituri ad Christum.

LXXVIII.

Et hoc ipsum est, quod Epistola ad Hebreos pronunciat: Impossibile esse eos, qui semel illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, & gustaverunt bonum Dei verbū virtutesq; venturi seculi, & prolapsi sunt rursus revocari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi meti ipsis Filium Dei, eumq; ostentui habentes, Heb. 6, 4, 5, 6.

LXXIX.

Neq; verò ullius momenti est Iesuitæ explicatio, hunc sensum verbis hisce affingenti, quod sic prolapsi, non amplius illuminari, hoc est, baptizari debeant Bellar. T. I. f. 67.

LXXX.

Tamen si enim Baptismum, Illuminationem φωτισμὸν, apud veteres, Augustinum præsertim, dici non ignoramus: hoc tamen loco nullam de iterando Baptismo esse quæstionem, manifestum est. LXXXI.

Neq; etiam, uti Novatiani contendunt, verbahæc de quolibet peccato, contra conscientiam admissa, & quantumvis mortali, sunt intelligenda. LXXXII.

Sed de Apostasia, eaq; non quavis, sed à veritate agnita, quæ de liberato consilio, & obstinata malitia cum blasphemia conjuncta, committitur. LXXXIII.

Hic enim scopus Apostolo & finis est propositus unicè, ut Hebreos hortetur, ne à fide in Deum, à doctrina baptismatum sive mysteriorum, & Resurrectionis mortuorum, & id genus aliis Christia-

Christianæ doctrinæ capitibus deficiant, id quod ostendunt versus  
1. & 2.

LXXXIV.

Quin ipsa verba in se considerata, manifestè produnt, Aposto-  
lum loqui de iis Apostatis, qui priùs illuminati gustaverunt do-  
num cœleste, participes facti Spiritus sancti, atq; sic à veritate a-  
gnita, non nudè & simpliciter, sed cum blasphemia defecerunt, ut  
pote crucifigentes sibi meti p̄s Filium D e i, & ludibrio exponen-  
tes, contra testimonium illud Spiritus Sancti, cuius facti erant par-  
ticipes.

LXXXV.

Eadem planè alterius quoq; loci, hujus Epistolæ, est senten-  
tia, qui sīchabet: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam ve-  
ritatis notitiam, jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terri-  
bilis quædam expectatio judicii, & ignis fervor, consumturus  
adversarios, qui Filium D e i conculcant, & sanguinem fœderis,  
per quem fuerant sanctificati, profanum ducunt, & Spiritum gra-  
tiae contumelia afficiunt, cap. 10, 26, 27.

LXXXVI.

Quibus omnibus astipulatur etiam Iohannes Apostolus, pec-  
catum quoddam ita ad mortem esse asserens, ut pro eo ne orare  
quidem fas sit, i. cap. 5, 16.

LXXXVII.

Tamen si enīm aliās extra Christum omnia peccata sunt mor-  
talia, cum primis illa regnantia Gal. 5, 19. longè tamen alio sensu  
Iohannes, loco jam citato, peccatum ad mortem, opponit peccato  
non ad mortem: ita nimirum, ut peccatum non ad mortem ipsi sit  
quocunq; peccatum, excepto unico illo in Spiritum sanctum,  
quod κατ ἐγοχὴν, peccatum ad mortem, pro quo non sit orandum,  
nominat.

LXXXVIII.

Quamvis autem in individuo scire haud semper possumus,  
quis tali peccato ad mortem sit infectus, ac proinde de aliquibus  
dubitandum, pro quibus tamen sub conditione orari posse afferi-  
mus, ut nimirum, si inscientes veritatem abnegent & oppugnant,  
D e u s ipsorum misertus, in viam eos reducere dignetur.

LXXXIX.

Interim tamen de nonnullis conjecturam minimè fallibilem  
facere possumus, ut quos ob fluxas mundi hujus dignitates &  
commoda, à veritate Euangeli agnita deficere, & manifestos er-

B 3 rores,

gōres, de quibus semel atque iterum convicti sunt, p̄fraftē &c  
blasphemē oppugnare videmus, eos peccato hoc ad mortem la-  
borare pronanciemus.

X C.

Pro quibus, utpote subversis & àutoritātēs tristis, Tit. 3, 10.  
tām non orandum esse statuimus, ut potius contra eosdem divi-  
nam ultiōrem, imis cordis nostri suspiriis expetere debeamus.

X C I.

Sic David perfecto odio odiſſe se hujusmodi confitetur, Psal.  
139, 22. & ut viventes in infernum descendant orat, Psal. 55, 16.

X C II.

Cūm enim neque spes veniae, neque hostia pro peccatis, exce-  
pto solo & unico Christo, sit reliqua: blasphemii autem, sic ad mor-  
tem peccantes, hunc fide apprehensum scientes volentes exutis-  
ant, blasphemē, persequantur: sanè pro hujusmodi hominibus  
orare velle, tām est inconveniens, quām absurdum fore, orare, ut  
D e u s absque Christo, aut potius contra illum, salvum aliquem  
beatumq̄ue efficiat.

X C III.

Neque verò eo hæc à nobis disputantur animo, quasi cuiquam  
ob peccatorum suorum atrocitatem, de gratia D e i desperandum  
esse existimemus.

X C IV.

Toto enim corde, & ex intimis conscientiæ nostræ recessi-  
bus credimus, confitemur, doceimus; Christum Iesum esse propi-  
tiationem pro nostris, non pro nostris autem tantum, sed totius  
mundi peccatis, longè sufficientissimam: & omnem peccatorum  
repentientem & credentem in Christum, non peritum, sed vitam  
habitum æternam, 1. Ioh. 2. 2. Ioh. 3, 16.

X C V.

Quæ sanè consolatio, uti omnes omnino ex æquo peccatores  
respicit: ita nemini, quibuscumque etiam peccatis polluto, dubita-  
tio illa oboriatur, quin sibi quoque agnitis suis peccatis, & si de ad  
Christum mediatorem confugienti, peccatorum remissio, & gra-  
tia ac misericordiæ D e i janua pateat latissima.

X C VI.

Quare quicunq; corde sunt contrito, & afflito spiritu, inte-  
rim tamen vel minimam fidei scintillulam in se deprehendunt re-  
liquam,

liquam, ii, venenatis Diaboli suggestionibus procul exterminatio  
nunquam animum inducant, se peccatum hoc in Spiritum sanctum  
irremissibile habere aut commisisse: sed potius promissionibus  
Euangelicis innixi, sufficientissimum Christi meritum fide, quan-  
tumvis infirma, languida, imbecilli sibi applicent: memores illius  
Prophetici: Arundinem quassatam non confringeret Dominus, &  
linum fumigans non extinguet, Esa. 42, 3. Matth. 12, 20. & dulcis-  
simæ illius invitationis Christi: Venite ad me omnes, qui labora-  
tis, & onerati estis, ego reficiam vos, Matth. 11, 28.

XCVII.

Facebat ergo crassus ille & blasphemus Novatianorum error,  
hominibus, quoquo modo post acceptum Baptismum lapsis, spem  
consequendæ venie & remissionis peccatorum, negantium.

XCVIII.

Etenim & scriptura sacra, & plurima regeneratorum, in pec-  
cata tamen verè mortalia prolapsorum: nihilominus verò acta  
pœnitentia in gratiam à Deo receptorum exempla, manifestas  
falsitatis hunc errorem firmissime arguunt.

XCIX.

Hic verò finis & usus disputationis nostræ, ac primus qui-  
dem  $\omega\alpha\delta\epsilon\nu\lambda\eta\delta\epsilon$  esto, ut peccati in Spiritum sanctum atrocitatem  
probè considerantes, etiam atq; etiam videamus, ne vel peccatis  
contra conscientiam frena laxantes liberiūs, Spiritum sanctum  
excutiamus: vel ulla ratione fastidium atque odium veritatis a-  
gnitæ nobis instillari patiamur, aut quovis modo eidem nos op-  
ponamus.

C.

Ea enim Diaboli est astutia & πολυπλοκία, ut vel levissimâ si-  
bi concessa occasione, ex inferioribus peccatorum gradibus pau-  
latim magis magisq;, donec tandem ad summum peccati in Spi-  
ritum sanctum gradum perveniat, homines securos incitet &  
alliciat.

CL.

Sed ardentibus votis sine intermissione, bono Dei Spiritu  
regi petamus, cuius nos imbuti adjutiique gratia, vero amore & in-  
defesso studio veritatis, initium substantiæ ad finem usq; firmum  
teneamus, Heb. 3, 14.

CLI.

Convicti etiam de veritate, libenter ei palmam tribuamus,  
neque

neq; turpe nobis ducamus, dígitó ori imposito, & coram D e o &  
Ecclesia errorem liberè agnoscere, confiteri, detestari, ut nihil  
quicquam adversus veritatem, sed pro veritate omnia suscepisse  
videri queamus, Ecclesiastici 4,30. 2.Cor. 13,8.

C III.

Alter verò finis ἐλεγκτὸς, Sacramentarios respicit, qui, ut ab-  
solutum suum & Stoicum dogma, de Prædestinatione fatali, sine  
ullo respectu prævisæ à D e o vel fidei vel infidelitatis facta, sta-  
bilirent, in eañ descenderunt hyperbolē, ut eos, qui regenerati  
fuerint, Spíritus sancti gratiam nunquam amplius amittere posse  
contenderent.

C IV.

Qui furor è diametro cum tota scriptura sacra, imprimis verò  
cum præsenti nostra disputatione, & loco ex Epistola ad Hebræos  
perito pugnat, qui luculenter testatur, eos, qui verè illuminati ac  
regenerati fuerunt, non modò labi, & graviter labi, sed etiam  
gratiâ D e i penitus excidere, & peccatum in Spíritum sanctum  
committere posse.

C V.

Quare non minùs hunc Sacramentariorum, quām illum No-  
vatiianorum errorem, ex agro & finibus Ecclesiæ exterminatum,  
ad Orcum relegamus. C VI.

CHRISTUS IESUS, qui benedixit nobis omni benedictione  
Spirituali in cœlestibus, Spíritus sui gratiâ per verbum Euangeliū  
magis magisq; nos reddat eruditos & confirmatos, ut arbore in fa-  
ciamus bonam, & fructum ejus bonum: errantes verò converten-  
dos convertat: obstinatos ac reprobos evertat ac deleat, Amen.

#### Π Ο Ρ Ι Σ Μ Α Τ Α.

- I. Q. An ex verbis Christi, affirmantis, peccatum in Spíritum san-  
ctum neg, in hoc, neq; in futuro seculo posse remitti, fictitius Pon-  
tificiorum Purgatorius ignis stabiliri possit? Negamus.
- II. Q. An quis Euangelicus salva conscientia abominanda Pontifi-  
ciorum sacra Missatica frequentare possit? Negamus.
- III. Q. An qui sibiipsis violentas manus inferunt, eternū omnes  
pereant? Negamus.
- IV. Q. An admitti possit Stoicorum illud παράδοξον: omnia pecca-  
ta esse aequalia? Negamus.

Y 1935 <sup>a</sup>



56



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



D I S P U T A T I O . VI.

Ex articulo secundo Augustanæ Confessionis.

DE BLASPHE-  
MIA IN SPIRITVM SAN-  
CTVM, SIVE PECCATO  
AD MORTEM.

*Ad cuius Theses,*

Docente Spiritu sancto,

S U B P R A S I D I O

LEONHARTI HVTTERI, S. S.  
Theologiae D. & Professoris in alma VVi-  
tebergensi Academia, defendet

*M. GREGORIUS HAGIUS,  
Obernrettanus, Fr.*

ad diem 17. Septembris, horis locoq; consuetis.



UVITEBERGAE,

Typis Simonis Gronenbergii, Anno 1600.